

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024
À rendre pour le lundi 5 février (casier au DSA)

Version latine n°10 : frugalité impériale

L'historien dresse le portrait moral de l'empereur Julien, qui a régné de 361 à 363.

Et primum ita inuiolata castitate enituit, ut post amissam coniugem nihil umquam uenerium iam gustaret : illud aduertens, quod apud Platonem legitur, Sophoclen tragoediarum scriptorem, aetate grandaeuum, interrogatum ecquid adhuc feminis misceretur, negantem, id adiecisse, quod gauderet harum rerum amorem ut rabiosum quendam effugisse dominum et crudelem. Item ut hoc propositum ualidius confirmaret, recalebat saepe dictum lyrici Bacchylidis, quem legebat iucunde, id adserentis quod, ut egregius pictor uultum speciosum effingit, ita pudicitia celsius consurgentem uitam exornat. Quam labem in adulto robore iuuentutis ita caute uitauit, ut ne suspicione quidem tenus libidinis ullius uel citerioris uitae ministris incusaretur, ut saepe contingit.

Hoc autem temperantiae genus crescebat in maius, iuuante parsimonia ciborum et somni, quibus domi forisque tenacius utebatur. Namque in pace uictus eius mensarumque tenuitas erat recte noscentibus admiranda, uelut ad pallium mox reuersuri ; per uarios autem procinctus, stans interdum, more militiae, cibum breuem uilemque sumere uisebatur. Vbi uero exiguum dormiendi quiete recreasset corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat per semet ipsum uigiliarum uices et stationum, post haec seria ad arces confugiens doctrinarum. Et si nocturna lumina, inter quae lucubrabat, potuissent uoce ulla testari, profecto ostenderant inter hunc et quosdam principes multum interesse, quem norant uoluptatibus ne ad necessitatem quidem indulsisse naturae.

Ammien Marcellin